

bellum exhibebit super excessibus, & delictis, qui tradatur Judici, aut ejus Commissariis à Judice nominandis.

27 Hæc interrogatoria non faciunt libellum; sed potius sunt ea, quæ vel per informationem præviam, vel per alias circumstantias apprehensionis Promotor ad onus captivi accepit. Nam aliquando & sine informatione ex aliis factis (a), & inductionibus, quæ apprehensionem comitabantur, articuli interrogationum formari queunt.

28 His interrogatoriis Judici, seu Commissariis exhibitis, in præsentia Promotoris, vel etiam Advocati Fiscalis (si adesse velit) secundum prædictum libellum reus examinandus est, incumbitque Judici, vel Commissariis, diligenter animadvertere si reus constans sit, an vacillet. Reus enim sine mora illa interrogata respondere tenetur.

29 Responsiones rei in scriptis redactæ, Promotori traduntur, qui, communicato cum Advocato Fiscali consilio, demum concludit pertinenter contra reum, offertque Promotor probare. Captivo autem datur terminus ad se justificandum. Si aliquas justificationes, & facta contraria exhibuerit, Promotor scripto replicare poterit, & procedetur ulterius, salvo, quod in his causis incarceratorum de triduo ad triduum procedatur.

30 Responsiones rei in scriptis redactæ solent & aliis Fiscalibus, officialibusque communicari, ut iis visis capiant conclusionem pro exigentia causæ, & prout ipsis expedire videbitur. Quodsi repererint confessionem sufficientem, jus desuper pronuntiari requirunt: sin minus, statuetur, ut testes iterato interrogentur, & si opus, cum reo componantur, quod ut fiat, prorogatio non conceditur, nisi pro prudentia, & moderatione Curiz.

31 Si reus delictum negat, instaurandum est examen testium, qui ad informationem præviam auditi fuerant. Nam testes ante litis contestationem recepti nullam fidem faciunt contra reum, cum sint examinari ipso non citato, ut eos videret jurare. Igitur hæc repetitio cum omnibus illis qualitatibus fieri debet, quæ requirerentur, ubi testes isti repetendi nunquam fuissent examinati. Quemadmodum ergo quisque testis separatim audiri, ita & reexaminari debet. Testis, qui post recollectionem suam depositionem retractat, veluti falsus punitur.

32 Interdum quando testis aliquid deponit directe contrarium ei (b), quod dixit reus; vel ipse testis deponit de

(a) Gibert. in not. n. 3. (b) De Confront.

visu, tunc jubetur suam depositionem renovare in conspectu ipsius rei, atque hæc renovatio depositionis *confrontatio*, quasi facta à fronte ad frontem, vocari solet. Sæpe & rei invicem (a), utpote delicti complices confrontantur. Confrontationes æque, ac reexaminationes separatis scriptis consignandæ sunt. Judex, postquam tum à reo, tum à testibus requisivit, an invicem se noscant, legit depositionis primum articulum, qui expectat nomen, ætatem, qualitatem, & locum, ubi degebat. Abhinc urget reum, ut in instanti exceptiones, si quas habet, contra testes opponat. Si testes his exceptionibus responderint, aut reus declaraverit, se nihil habere, quod opponat, legitur depositio. Qua lecta non recipiuntur amplius reprobationes, nisi eas reus scripto justificare possit.

33 Post confrontationem causa præparata censetur, & Promotori traditur ad eliciendas conclusiones definitivas; qui tamen adhuc conclusiones præparatorias formare potest, & postulare, ut hoc vel illud informationi addatur (b), ut hic, vel ille testis audiatur.

34 Dandæ sunt & reo dilationes, & defensiones competentes, ut delictum vel excusare, vel & innocentiam suam probare queat. Jure scripto decernitur, ut Inquisito exponantur illa capitula, de quibus fuerit inquirendum; & non solum dicta, sed etiam nomina testium (ut, quid, & à quo sit dictum, appareat) ei publicentur. c. 24. de Accusat. In praxi placet, dare nomina testium confusa, & separata ab eorum depositionibus, ne possint scire, quid ab unoquoque eorum dictum fuerit.

35 Causa plene instructa, Judicis est, processum diligenter discutere, visurus, an probationes sint ad condemnationem rei sufficientes. Oportet enim probationes in criminalibus causis ad decernendum supplicium esse plenas, liquidas, & luce meridiana clariores. Non vacat periculo, quod in Gallia aliquando ex præsumptionibus, & conjecturis reus damnetur. L. 25. C. de Probat.

36 Hodie Practica generalis observat, quod reum, & sponte confessum Judex remittat in carcerem, & apud acta præfigat ei terminum ad allegandum, quidquid vult, & ad omnes suas defensiones faciendas, ne condemnatur: quo elapso, si nihil probat, damnandus est.

37 Præjudicium sæcularibus judiciis passim obrepit (c), reum, tametsi plene convictum, damnari ad supplicium non

Ep. Van-Espen T. II.

Aaa

pos-

(a) Gibert. not. n. 11. &c. (b) Fleur. §. 3. (c) De Tortur.



posse, nisi crimen confessus fuerit. Inde quæstionibus per torturam, ad eliciendam rei confessionem, frequens locus. Juxta Ulpianum: *Res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii tanta sunt impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta, velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, verum etiam alios comminentur.* Superest. L. 1. §. 23. ff. de Quæstion.

38 In judiciis ecclesiasticis placuit torturam abolere, forte, quod vererentur, per sanguinis effusionem, vel mortem torti irregularitatem contrahi. Quid verius sententia S. Augustini (a)? *Cum quæritur, inquit, utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur; ac per hoc ignorantia Judicis est plerumque calamitas innocentis.*

39 His, aliisque rationibus placuit cultoribus sæculis, & regnis torturas & ex sæcularibus tribunalibus expungere. Quippe reus de crimine vel est plene convictus, vel non? Si ita? & citra confessionem suam supplicio tradi potest. Si non? Iniquum est, eum dare pœnas, sepe ipsa morte acerbiores. Quid ni sufficiat, reum luere pœnas, quas meruisse probatus est? Enimvero confessio, tormentis expressa, exigua, aut nullam fidem, etsi extra conspectum torturæ renovata sit, mereri æquis Censoribus detur.

Cap. 4.  
De Purgat.  
vulg.

40 Novo jure generatim expunctæ sunt purgationes vulgares, quæ barbaris sæculis, ad probanda crimina occulta, solemnes non minus, quam frequentes habebantur, quia censebantur vulgariter, dicebanturque passim judicia divina. c. 25. II. q. 5.

41 Horum varii, & religiosi modi fuere, quorum frequentiores memorantur tres; utpote per aquam frigidam, per aquam calidam, & ferrum candens. Meminit veteris ritus Hincmarus Rhemensis (b): *In aque frigidae judicio, inquit, constare videtur, quod innoxii submergantur, culpabiles supernatent.* En ritum: *Colligatur autem fune, quo examinandus in aquam frigidam dimittitur — scilicet, ne aut aliquam possit fraudem in judicio facere, aut si aqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi.*

42 Religio prolixiorē solemnitate persuasit. Primo ho-

(a) S. Aug. de Civit. Dei lib. 19. c. 6. (b) Hincm. de divort. Lothar.

homines mittendi ad comprobationem judicii aquæ, peracto prius trium dierum jejunio, adducebantur in Ecclesiam, ibique super eos in oratione prostratos Presbyter aliquas preces fundebat, quibus Deum deprecabatur, ut veniam poscentibus indulgere dignaretur, & ab eis iram suæ indignationis avertere. His completis surgebat Presbyter una cum illis, & coram ipsis Missam canebat, quæ inde Missa judicii, eoquod specialiter in eum finem composita esset, dicebatur.

43 Hujus orationes speciatim dirigebantur, ut per hanc probationem Deus manifestam facere veritatem dignaretur. Prima collecta hæc erat: *Absolve quæsumus Domine tuorum delicta famulorum, ut — in hoc judicio, prout meruerunt, tua justitia præveniente ad veritatis censuram pervenire mereantur.* In præfatione inter alia dicebatur: *Supplices exoramus, ut famulos tuos illos non de præteritis judices reatibus, sed hujus culpæ veritatem spectantibus insinues &c.* Benedictio ad judicium inter alia continebat: *Fac in conspectu populi tui, ut nullis malorum præstigiis veritatis tuæ fuscentur examina.* Et post communionem: *Et in famulis tuis veritatis sententiam declaret.* Dum in Missa perventum erat ad communionem, antequam communicarentur, adjurabat eos Sacerdos, dicens: *Adjuro vos illum, & illum per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per vestram christianitatem, quam suscepistis, & per Unigenitum Dei Filium, & per Sanctam Trinitatem, & per sanctum Evangelium, & per istas SS. Reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per istud Baptisma, quo vos regeneravit Sacerdos, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis, aut scitis, quis hoc egerit.* Singulis tacentibus Sacerdos porrigebat S. Eucharistiam dicens: *Corpus hoc, & Sanguis D. N. sit tibi ad probationem hodie.* Meminit hujus Missæ, & formulæ Concilium Wormatiense in Decreto Gratiani. c. 23. & 26. II. q. 5.

44 Missa expleta Sacerdos aquam benedicebat, pergebatque ad locum probationi destinatum, dabatque illis de aqua bibere, dicebatque singulis: *Hæc aqua fiat tibi ad probationem.* Abhinc orabat Deum, *ut virtutem suæ benedictionis his aquis infundere, & novum, ac mirabile signum in eis ostendere dignetur, ut innocentes à crimine — cujus examinationem agimus, more aquæ in se recipiant, & in profundum pertrahant: conscios autem hujus criminis à se repellant, atque rejiciant &c.* His finitis exuebantur Purgatores propriis vestibus, singulique osculabantur Evangelium, & crucem Christi & aqua benedicta super omnes aspergebatur, & projicie-



bantur singuli in aquam. Astantes autem omnes jejunare oportebat.

45 Refert reliquum veterem ritum vulgaris purgationis Mabillonius (a), ubi & dicitur: *Hoc autem iudicium creavit Omnipotens Deus, & verum est, & per Dominum Eugenium II. Apostolicum inventum est, ut omnes Episcopi, Abates, Comites, seu omnes Christiani per universum orbem id observare studeant; quia à multis probatum est, & verum inventum est. Ideo enim ab illis inventum est, & institutum, ut nulli liceat super sanctum Altare manum ponere, neque super reliquias, vel Sanctorum corpora jurare.* Sed hæc historia Natali Alexandro perquam suspecta est.

46 Quidquid hujus sit, id certo constat, purgationes vulgares satis diu per diversas Provincias Occidentis viguisse, ea tamen cautela, ut non adhiberentur, nisi defectu aliarum probationum. Statuit Jus Feudale Saxonum (b): *Aqua, vel ferro non licet in aliqua causa experiri, nisi, in qua modis aliis non poterit veritas indagari.*

47 Subinde spurix Decretales vetus præjudicium subruerunt. Gratianus in eam rem exhibet Decretum S. Gregorii tum & Stephani V. c. 7. & 20. II. q. 5. Sed juxta correctionem Romanam Decretum S. Gregorii restituendum est Alexandro II. c. 7. *ibi.*

48 Nec inter Epistolas Stephani V. ulla est epistola ad Episcopum Moguntinum. Alexander tamen III. (c) præjudicio Gratiani rescripsit Archiepiscopo Upsalensi: *Ferventis vero aquæ, vel candentis ferri iudicium Catholica Ecclesia contra quemlibet etiam, nedum contra Episcopum, non admittit. Unde Stephanus V. &c.*

49 Jure novo passim censura Pontificum purgationes vulgares proscripsit. Innocentius III. Episcopum, qui iudicio ferri candentis auctoritatem præstat, indignum altaris ministerio declarat, c. 10. *de Excess. Prælat.* Honorius III. scribit, Fratres Templarios esse compellendos, ut à probatione ferri candentis desistant, cum hujusmodi iudicium sit penitus interdictum, utpote in quo Deus tentari videtur. c. 5. *de Purg. Vulg.* Vetat Concilium Lateranense IV. ne ullus Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos purgationi vulgari aquæ ferventis, vel frigidæ, seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat. c. 9. *ne Cler. vel Monac. Sacul. Negot.*

Su-

(a) M. bil. tom. 1. analect. (b) Jus Feud. Saxon. cap. 24. art. 19.  
(c) Alexand. III. Ep.

50 Superest jure Decretalium frequens mentio purgationis canonicæ. Refert Gratianus Decretum Concilii Agathensis eo tenore (a): *Si accusatores legitimi non fuerint, qui ejus (Clerici) crimina manifestis judiciis probare contenderint, & ipse negaverit, tunc ipse cum sociis septem ejusdem ordinis, si valet, à crimine seipsum expurget. Hoc Decretum inter Canones Concilii Agathensis haud reperiri potuit. c. 12. V. q. 2.*

51 In Decretis S. Gregorii puriores sunt fontes hujus purgationis. Inter alia inquit S. Pontifex: *Sed, nequid videretur omissum, quod nostro potuisset cordi dubium remanere, ad B. Petri sacratissimum corpus districta eum ex abundantia fecimus Sacramenta præbere.* Refert. c. 6. V. q. 3.

52 Quum autem hæc purgatio in propria causa exigui videretur ponderis ad probandam diffamati innocentiam; ideo & veteribus placuit, ut juramentum rei fide plurium testium, ejusdem ordinis, qui Sacramentales dicebantur, stiparetur. In Capitularibus statuitur (b): *Quod si negare voluerit, cum duodecim Sacramentalibus juret.* Et alio loco: *Juret cum suis Sacramentalibus.*

53 Jure Decretalium juxta prætensum Decretum Concilii Agathensis ad purgationem Presbyteri septem testes ejusdem ordinis requiruntur; Diaconus vero, si de eodem crimine accusatus fuerit, cum tribus Diaconis se expurget. c. 2. *de Purg. Canon.*

54 Quia autem mos tulit, quod juramenta tactis SS. Evangelii, vel Sanctorum Reliquiis præstarentur, inde in antiquis legibus, recentioribusque Canonibus dicebatur purgatio manu quinta, sexta, septima, duodecima fieri. Super sunt hujus rei argumenta. c. 5. 8. 10. & *ibi.*

55 Quippe numerus Compurgatorum præcise definitus haud est. Inquit Ivo Carnotensis (c): *Posuerunt autem in discretionem Episcoporum, ut secundum quod audiunt malam famam Presbyterorum crebrescere, vel ingravescere, exigant purgatoria Sacramenta ab infamatis, cum tribus, aut quinque, aut septem Collegis.*

56 A Compurgatoribus exigitur juramentum credulitatis, utpote, quod credant, reum verum jurasse. c. 13. & 14. *de Purgat. Canon.* Juxta Innocentium III. Episcopus (infamatus de simonia) *jurabit primum super sancta Dei Evangelia, quod pro Ecclesia S. Petri Presbytero P. danda, nec*

ip-

(a) De Purg. Canon. (b) Capitul. lib. 5. cap. 52. & 62.  
(c) Ivo Carnot. epist. 206.



ipse per se, nec per submissam personam, nec aliquis pro eo, se sciente, pretium recepit; deinde Purgatores supra sancta Dei Evangelia jurabunt, quod ipsi credant, eum verum jurasse. Refert. c. 5. ibi.

57 Ut Purgatores mereantur fidem, oportet eis vitam, & conversationem, veluti rationem credulitatis, infamati esse perspectam. Ut autem idonei appareant, ait Alexander III. necesse est, ut ejus, quem purgare debent, vitam, & conversationem agnoscant. Refert. c. 7. de Purgat. Can. Si ergo de transacto crimine agitur, Compurgatores sint, qui conversationem, & vitam ipsius non tam moderno tempore noverunt, quam transacto, quia ratio testimonii ad tempus commisi criminis refertur. c. 10. ibi.

58 Sint ergo conjuratores, utpote quibus perspectior esse potest vita, & conversatio infamati, ejusdem ordinis, & status, ipsique talis honestatis, & opinionis laude, ut verosimile sit, eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecunie pejerare, ut loquitur Pontifex. c. 7. d. t. sive, quemadmodum alibi dicitur, fide sint Catholici, & vita probati. c. 10. eod.

59 Hodie tum in Curiis sæcularibus tum in Curiis ecclesiasticis nullus, aut perrarus est usus purgationis Canonice; cum fragilis, fallax, & incerta sit, eoquod ab hominum judicio dependeat. Et vero plerumque difficile, aut & aliquando impossibile foret, in tanto numero Compurgatores invenire. Placuit ergo vulgata regula, quod actore plene non probante, reus absolvatur. Nam in levioribus delictis ex tanta frequentia juramentorum vilescere videretur religio divini Numinis: & in majoribus delictis posset suboriri periculum perjuriorum.

\* 60 Quid in morali doctrina superest terribilius, quam & levia Cleri delicta esse in rationibus divinæ justitiæ gravissima? Inter opera S. Cypriani hæc relucet sententia (a): Propter malignantium insolentiam altare suum Deus repellit, & sanctificationibus maledicit, odit sabbatha, abominatur solemnia, odora menta fœtent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit Deus, nec esse voluntatem suam in ministris impuris, indignatione districta testatur. Juxta S. Gregorium Naz. (b) Nobis (Clericis) hæc una virtutis lex, ne legitimis quidem, atque ab omnibus neglectis, succumbere vitiis. Inquit S. Ambrosius (c): Neque mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum, ne gravioribus flagitiis sit

(a) Int. Op. S. Cypriani. serm. de C. Dom. (b) S. Greg. Naz. Orat. 3.  
(c) S. Ambr. lib. 10. epist. 82.

sit affinis, sed ne minimis quidem. Ex sententia S. Chrysostomi (a) si ab omnibus abstinuerit, magnus est. Si autem vel levia peccaverit, nihil illi prodest sacerdotalis dignitas ejus. Quid disertius sententia S. Bernardi (b)? Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemie — consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. En Concilii Tridentini expressa monita (c): Levia, inquit, etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Audi denique & rationes S. Cyrilli (d): Opus est, qui ad munus adeo augustum proveci sunt, non ab iis modo vitiis, quæ aperte, manifesteque damnantur, sed etiam ab omni actione, cum qua vitii alicujus opinio, & existimatio parum honesta, & multarum suspicionum dedecus conjunctum est, abstinere.

## TIT. X.

## De Sententiis, &amp; Executione.

## CAP. I.

## De Diversis Speciebus Sententiarum.

1 Per totum ordinem forensis processus multæ sunt partes Judicis. Hic enim decernit citationes, cogit testes, discernit instrumenta, reliquasque quæstiones, quæ vel incidunt, vel emergunt, sua auctoritate decidit. L. 14. ff. de re. judic.

2 Hæc Decreta Judicis jure novo passim sententiæ interlocutorie dicuntur, quia, suspensa causa principali, Judex mere interloquitur, decernendo ea, quæ necessaria videntur, ut principale negotium melius terminari queat.

3 Sententia interlocutoria duplex est. Una mere, & simpliciter interlocutoria dicitur: altera vim definitivæ habet; unde à sententia definitiva fere solo nomine, distat, eo quod articulum contingat, ex quo aut causæ principalis præjudicium pender, aut aliunde damnum irreparabile imminet. Cum enim hujusmodi sententia non per interim, seu provisorio modo, sed articulum illum, ex quo periculum causæ principalis, quod reparari nequit, dependet, absolute dirimat,

(a) S. Chrys. h om. 10. in Matth. c. 5. (b) S. Bern. de Consid. lib. 2. c. 13.  
(c) Trid. sess. 22. cap. 1. (d) S. Cyrill. de Adorat. lib. 12.